

# La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 118

Notitia in quorum praesentia qualiter veniens Adalmarus, advocatus fratrum Sancti Martini basilicae, die jovis quod evenit IIII. kal. junii, infra muros Turonicae civitatis, ante Theodacrum et Aladardum locumtenentes vice Ragenarii, comitis Palatii, et Adalaldum Turonensem archiepiscopum, cum aliis missis praeteritis, videlicet domni Hludovici regis, ad causas diffiniendas et recta judicia terminanda, ibique interpellebat et admallabat aliquem hominem, Wifredum nomine, advocatum Sigualdi, Archidiaconi, dicens ei quod potestas Sancti Mauricii et ipsius Sigualdi intendebat partibus Sancti Martini tractum unum, quod est a Monte Laudiacinse ex alia ripa Ligeris, adhaerenta villa Casellas. Unde ad locum cessionis pariter cum ipso Guifredo et canonicis utriusque ordinis seu aliis missis praeteritis Ragenarii, comitis palatii, et Alcario vicario simul convenimus, quod injuste contradicerent; unde fratres Sancti Martini basilicae, per longum tempus vestiti fuissent, sine ulla contradictione, qui per legem ei reddere debuissent, unde testibus approbare faciant. Et ibi ad praesens coram viris qui praescripti sunt et Adalardo archiepiscopo, cum ipso Sigualdo archidiacone, caeterisque fratribus Sancti Mauricii ibidem consistentium, in illorum praesentia veraciter affirmassent, quid utrumque Sancti Martini esse deberet. Tunc ipse Guifredus per praesentem seriem credit, ut ipsum tractum ripa Ligeris, sicut in antea fratres Sancti Martini haberent per wadios, vice Sigualdi redderet, atque restituit secundum legem et per stipulam guerpire fecit, coram praesentibus viris. Propterea judicatum fuit ipso Adalmaro et fratribus Sancti Martini, ut hanc noticiam evindicationis exinde colligerent et cum bonis viris missis praeteritis domni nostri Hludovici regis, ibi adfirmarent, et si post hoc expletum necessitas evenerit manifesta declarata appareat sententia. His praesentibus actum fuit.

Ego Adalaldus archiepiscopus subscripsi.

Frandebertus sacerdos atque decanus subscripsit. Protasius praepositus subscripsit, Amalbertus archidiaconus subscripsit. Ostrobaldus diaconus subscripsit. Signum Adalardi. Signum Theodacri. Signum Alcharii vicarii. Signum Truduini. S. Amalrici. S. Udalrici. S. Autgerii. S. Sigualdi. S. Erardi. S. Sigefredi. S. Adalmani.

Data est IIII kal. junii, anno I regnante Hludovico rege.

Isarnus scripsit et subscripsit.